

extollere jacentem, sed etiam amplificare ejus pristinam dignitatem: haec qui facit, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico. Itaque, C. Caesar, bellicae tuae laudes celebrabuntur illae quidem non solum nostris, sed paene omnium gentium litteris atque linguis: neque ulla unquam aetas de tuis laudibus conticescet. Sed tamen ejusmodi res, nescio quomodo, etiam cum leguntur, obstrepi clamore militum, videntur, et tubarum sono. At vero cum aliquid clementer, mansuete, juste, moderate, sapienter factum, in iracundia praesertim, quae est inimica consilio, et in victoria, quae natura insolens et superba est, aut audimus, aut legimus: quo studio incendimur, non modo in gestis rebus, sed etiam in fictis, ut eos saepe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te vero, quem praesentem intuemur, cujus mentem, sensusque, et os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipublicae fecerit, id esse salvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus studiis prosequemur? qua benevolentia complectemur? Parietes, medius fidius, C. Caesar, ut mihi videtur, hujus curiae, tibi gratias agere gestiunt, quod brevi tempore futura sit illa auctoritas in his majorum suorum, et suis sedibus.

IV. Equidem cum C. Marcelli, viri optimi, et commemorabili pietate praediti lacrymas modo vobiscum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria effodit: quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conservato, dignitatem suam reddidisti, nobilissimamque familiam, jam ad paucos redactam, paene ab interitu vindicasti. Hunc tu igitur diem tuis maximis et innumerabilibus gratulationibus jure antepones. Haec enim res unius est propria Caesaris: ceterae duce te gestae, magnae illae quidem, sed tamen multo magnoque comitatu. Hujus autem rei tu idem es et dux et comes: quae quidem tanta est, ut tropaeis monumentisque tuis allatura sit finem aetas; nihil enim est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas: at